



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1712

Q. 293. An Confessarius post datam absolutionem vel in alia confessione possit non petitâ veniâ loqui cum pœnitente de auditis in confessione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42433

tionem absolutionis, non est intrinsecè malum, & ex causa ista videtur talis simulatio ac cooperatio ad peccatum illius hominis esse materialis tantum.

§. 5. Si Confessarius ex confessione sciat 1979.
mulierem solere confiteri carnalia, & exinde se multum tentari, non potest emanere, si removere possit periculum proximum lapsus, aliàs frangit sigillum. *Dicast. p. 11. t. 5. R. 15. Steph. n. 223. Aversa supra.* Si tamen per hoc exponeret se periculo proximo lapsus, deberet emanere, quia se tali periculo exponere est intrinsecè malum. Item posset emanere, si sciret eam vocare, non animo confitendi sed v. g. sollicitandi illum ad peccatum, *Aversa*, id enim novit aliunde quàm ex confessione sacramentali.

Q. 293. An Confessarius post datam absolutionem vel in alia confessione possit non petiti à venià loqui cum pœnitente de auditis in confessione. R. §. 1. 1980.
Potest statim post absolutionem, v. g. admonendo de vitandis occasionibus, quia cum in continenti, id est, pœnitente & Confessario adhuc existente in confessionalis, fiat, censetur iudicium adhuc durare saltem integraliter, *Præp. Henriq. Tann. Dicast. Tamb. Aversa, Lugo d. 23. n. 129. Stoz n. 194. Ills. n. 250. contra Fagund.* An autem hoc liceat, quando pœnitens è confessionalis discessit, dixi n. 1776. Item an hoc liceat ad corrigendum vel supplendum defectum à Confessario commissum, dixi n. 1776.

§. 2. Si Confessarius in hac confessione lo- 1981.
quatur cum pœnitente de auditis à se in alia confessione, non frangit sigillum, quia loquitur in eodem foro, *Gran. Mald. Lugo* aliique multi cum *Aversa q. 18. s. 6.* quod certum esse

dicit *Ills.* n. 251. contra *Fagund.* & *Dianam*, sic enim fit cum consuetudinariis, & hoc pertinet ad officium Judicis ac Medici. Si autem loquatur de spectantibus ad sigillum sibi aliunde notis, v. g. qui dictaverat peccata pro confessione alteri facienda, non potest nequidem in confessione de istis loqui pœnitenti, quia notitia illa non pertinuit ad hujus Confessarii forum, *Lugo* n. 128.

1982. Q. 294. Quomodo ille, qui obligatur sigillo, debeat respondere, si interrogetur circa materiam sigilli. R. Aliqui Lovanienses apud *Sandæum* ad prop. 26. ab *Inn.* XI. damnatam dicunt non posse affirmare, quod aliquid sciat, ne frangat sigillum; nec posse negare, ne mentiatur, sed debere interrogantem arguere ineptiæ & dicere, talia interrogari non debere, neque ad talia responderi posse. Doctrina illa valeret, si omnes in praxi eodem modo agerent, aut saltem si interrogatus nunquam, nequidem ubi posset & quamvis intentaretur mors, responderet aliquid de aliquo suo pœnitente, & hoc sciretur ab omnibus, sed cum plerique quandoque negent, si nempe pœnitens non sit tale quid confessus, aut saltem audientes non sciant interrogatum habere talem morem, ut nulli unquam respondeat, praxis illa non valet, quia interrogans judicabit hoc esse factum, quod interrogat: unde ut secretum tegatur, procedi potest secundum seqq.

1983. §. 1. Si Confessarius interrogetur, an pœnitens ei sit confessus peccatum, quod est notorium, communiter negare non debet, ne reddat pœnitentem suspectum de confessione non integra; nec debet affirmare, ne frangat sigil-